



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ**

**Roth von Schreckenstein, Hieronymus**

**Ingolstadii, 1550**

**VD16 R 3252**

Confessio Constantini Imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30126**

## ROMANAE ECCLESIAE.

Sicut enim fons Olei Romæ ex terra exundauit, sic et Ecclesia Romana exundauit fides Christiana in totum orbem, ita ut fides Romanorum Diuo Paulo electissimo Vase teste annunciaretur in uniuerso orbe.

Accedit ad hoc ingens miraculum in persona Constantini Magni. Cum is ex præcepto sacerdotum Capitolij lepra laborans fontem in Capitolio sanguine plurimorum innocentium & infantium replere uellet, cernensq; lachrymas matrum exhorruisset facinus, Petrum & Paulum Apostolos uidit ostendentes fontem salutis & præbentes sibi sanitatis recuperandæ consilium, quibus monitis fidem CHRISTI suscipiens à Beato Syluestro tum Pontifice Maximo baptisatus, & consignatus septiformis spiritus sancti Beati Chrismatis unctione, & in fronte uexillo sanctæ Crucis signatus sanitatem recuperauit, & à lepra alias uix curabili morbo sanatus est. Cuius confessionem inserere placuit.

### *Confessio Constantini Imperatoris.*

**I**N nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, patris scilicet filij & spiritus sancti. Imperator Cæsar Flavius Constantinus in Christo Iesu uno ex eadem sancta Trinitate Salvatore Domino Deo nostro fidelis, mansuetus, Maximus, Beneficus, Alemanicus, Gotticus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, Pius, Felix, Victor ac Triumphator semper Augustus. Sanctissimo & Beatissimo patri patrum Syluestro urbis Romæ Episcopo, atque  
F omnibus



## DE PRINCIPALITATE.

omnibus eius successoribus, qui in sede Beati Petri usque in finem Seculi sessuri sunt, Pontificibus nec non & omnibus Reuerendissimis & Deo amabilibus Catholicis Episcopis eidem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per hanc nostram Imperialem Constitutionem, subiectis in uniuerso orbe terrarum nunc & in posterum cunctis retro temporibus constitutis. Gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia à Deo patre omnipotente & Iesu Christo filio eius, & spiritu sancto cum omnibus uobis.

Ea quæ saluator & Redemptor noster Dominus noster Iesus Christus altissimi patris filius per suos Apostolos Petrum & Paulum, interueniente patre nostro Siluestro summo Pontifice mirabiliter dignatus est, liquida narratione per huius nostræ Imperialis Institutionis paginam ad indaginem omnium populorum in uniuerso orbe terrarum nostra studuit propagare mansuetissima serenitas.

Primum quidem fidem nostram quam à præfato Beatissimo Patre & oratore nostro siluestro uniuersali Pontifice edocti sumus intima cordis confessione ad instruendas omnium uestrum mentes proferentes, & ita demum misericordiam DEI super nos diffusam annunciantes. Nos enim uos scire uolumus sicut per anteriorem nostram sacram Pragmaticam iussione significauimus nos à Culturis Idolorum, simulachris mutis & surdis, manufactis Diabolicis compositionibus atque ab omnibus Sathanae pompis recessisse, & ad integram Christianorum fidem quæ est uera lux & uita perpetua peruenisse, credentes iuxta id quod nos idem almissimus summus pater & Doctor  
noster



## ROMANAE ECCLESIAE.

noster Siluefter inſtruit Pontifex. In Deum patrem Om-  
nipotentem factorem Cœli & terræ uifibilem omnium &  
inuiſibilem, & in Ieſum Chriſtum filium eius unicum do-  
minum noſtrum per quem omnia facta ſunt, & in ſpiritū  
ſanctum Dominum & uiuificantem uniuerſæ creaturæ,  
hoc eſt patrem, filium & ſpiritum ſanctum conſitemur, ita  
ut in Trinitate perfecta & plenitudo ſit unitatis & unitas  
potentis, pater Deus, filius Deus, & ſpiritus ſanctus De-  
us, & tres unum ſunt in Chriſto Ieſu, tres itaq; formæ ſed  
una potestas. Nam Deus ſemper ſapiens edidit ex ſe quod  
eſſet gignendum, ſecula uerbum & quando eodem ſolo  
ſuæ ſapientiæ uerbo uniuerſam ex nihilo formauit creatu-  
ram cum eo erat cuncta ſuo arcano componens Myſterio,  
Igitur perfectis cœlorum uirtutibus & uniuerſis terræ ma-  
terijs pio ſapientiæ ſuæ nutu ad imaginem & ſimilitudi-  
nem ſuam primum de limo terræ fingens hominem, hunc  
in Paradyſo poſuit uoluptatis, quem antiquus ſerpens &  
hoſtis inuidens Diabolus per amariffimum ligni ueriti  
guſtum exulem ab iſdem effecit gaudijs, eoque expulſo  
non deſtitit ſua uenenosa multis modis protelare lacula,  
ut à uia ueritatis humanum abſtrahens genus Idolōrum  
culturæ uidelicet & creaturæ & non Creatori ſeruire ſua-  
deat. Quatenus per hoc eos quos ſuis uoluerit irre-  
tire inſidijs ſecum afficiat concremandos ſuperſtitio, ſed  
DEVS noſter miſertus Plasmæ ſuæ dirigens Sanctos  
ſuos Prophetas, per quos lumen futuræ uitæ, ad aduen-  
tum uidelicet filij ſui Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu  
CHRISTI enuncians miſit eundem filium ſuum Vnige-  
nitum

F ij nitum



## DE PRINCIPALITATE

nitum & sapientiæ uerbum, qui descendens de Cœlis propter nostram salutem, natus de spiritu sancto ex Maria Virgine Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat, DEVM perfectum & hominem perfectum, ut Deus mirabilia perficiens & ut homo humanas passiones sustinens. Ita uerum hominem & uerum Deum uerum hominem fuisse nullo modo ambigamus. Electisq; duodecim Apostolis, miraculis coram eis & innumerabili populi multitudine corruscauit. Confitemur eundem Dominum nostrum Iesum Christum & implese legem et prophetas, passum, crucifixum, secundum scripturas, tertia die à mortuis resurrexisse, assumptum in Cœlos, atq; sedentem ad dextram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos. Cuius Imperij non erit finis. Hæc est enim fides nostra Orthodoxa à Beatissimo Patre nostro Syluestro summo Pontifice nobis prolata. Exhortantes idcirco omnem populum & diuersas gentium nationes hanc fidem tenere, colere, ac prædicare, & in Sanctæ Trinitatis nomine Baptismi gratiam consequi, & Dominum nostrum Iesum Christum Saluatorem nostrum, qui cum patre & spiritu sancto per infinita uiuit & regnat Secula. Quem Siluester Beatissimus noster Pontifex in uniuersali prædicat, corde deuoto adorare, Ipse enim Dominus Deus noster misertus mihi peccatori misit sanctos suos Apostolos ad uisitandum nos & lumen sui splendoris infulsit nobis, & abstractum à tenebris ad ueram lucem & agnitionem Veritatis me peruenire gratulemini. Nam dum ualida squaloris lepra totam mei corporis



## ROMANAE ECCLESIAE:

poris inuasisset carnem, et multorum medicorum conuulsum  
tium cura adhiberetur. Nec unius quidem promerui salu-  
tem. Ad hæc aduenerunt Sacerdotes Capitoli dicentes  
mihî debere fieri fontem in Capitolio; & compleri hunc  
Innocentum sanguine calente et in eo loco posse me mun-  
dari. Et secundum eorum dicta aggregatis pluribus inno-  
centibus infantibus, dum uellent sacrilegi Paganorum sa-  
cerdotes eos mactare, ex eorum sanguine fontem replere,  
cernens serenitas nostra lachrymas matrum eorum, illico  
exhorui facinus, misertusq; illis, proprios eis restitui præ-  
cepimus filios suos, datisque uehiculis & donis concessis  
gaudentes ad propria relaxauimus. Eadem igitur transa-  
cta die nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus  
aduenisset, adsumt Apostoli, Sanctus Petrus & Paulus di-  
centes, mihî. Quoniam flagitijs posuisti terminum & ef-  
fusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus à  
Christo Domino Deo nostro dare tibi sanitatis recuperan-  
dæ consilium. Audi ergo monita nostra & fac quodcum-  
q; indicamus tibi.

Siluester Episcopus ciuitatis ad montem Soractem per-  
secutiones tuas fugiens in cauernis Petrarum cum suis cle-  
ricis latebras fouet, hunc cum ad te adduxeris ipse tibi pi-  
scinam pietatis ostendet. In qua dum te tertio meriserit om-  
nis ualetudo deseret lepræ. Quod cum factum fuerit, hanc  
uicissitudinem tuo Salvatore compensa. Te autem ipsum  
in hac parte purifica ut relicta omni superstitione Idolorum  
Deum unum Verum, qui solus est & uerus adores & ex-  
colas

F iiij



## DE PRINCIPALITATE

colas & ad eius uoluntatem attingas. Exurgens igitur a somno, iuxta illud quod a sanctis Apostolis admonitus sum peregi. Aduocatoque eodem præcipuo & Magnifico patre & Illuminatore nostro Siluestro omnia a sanctis Apostolis mihi præcepta dixi uerba, percunctatique eum sumus, qui isti Dei essent Petrus & Paulus. Ille uero ait non eos Deos uerè dici, sed Apostolos saluatoris nostri Iesu Christi, & rursus interrogare coepimus eundem Siluestrum utrum ipsorum Apostolorum imaginem expressam haberet, ut ex pictura disceremus hoc esse, quod pictura docuerat. Tunc idem Venerabilis pater imaginem eorundem Apostolorum per Diaconum suum exhiberi præcepit, quos cum aspicerem & eorum, quos in somno uideram figuratos, in ipsis imaginibus cognouissem uultus, ingenti clamore coram omnibus Satrapibus meis confessus sum eos esse quos in somno uideram. Ad hæc Beatissimus Siluester in dixit nobis penitentiae tempus, intra Palatium nostrum Lateranense in uno Cilicio, ut omnia quae a nobis impie peracta atque iniuste disposita fuerant uigilijs, ieiunijs atque lacrimis in orationibus apud Saluatorem nostrum Iesum Christum impetrauimus. Deinde per manus impositionem clericorum usque ad ipsum praesulem ueni, ibique abrenuntians Sathanæ pompis & operibus eius, uel uniuersis Idolis manu factis, credere in Deum patrem omnipotentem, factorem caeli & terrae, uisibilem & inuisibilem & in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto & Maria uirgine, spontanea uoluntate coram omni populo professus sum, Benedictoque

fonte



## ROMANAE ECCLESIAE.

fonte, illic me trina mersione unda salutis purificauit, leua-  
toq; me de uenerabili fonte. Indutus uestibus candidis se-  
piformis spiritus sancti consignationem adhibuit, Beati  
Chrysmatis unctione uexillum sanctae Crucis in mea fron-  
te liniuit, dicens, Signet te Deus Sigillo fidei suae. In no-  
mine Patris & Filij & Spiritus Sancti, in consignatio-  
nem fidei. Cunctusq; Clerus respondit. Amen, & adiecit  
Praesul, Pax tibi. Prima itaq; die post perceptum sacri ba-  
ptismatis Mysterium & post curationem corporis a lepra  
squalore, agnoui non esse alium Deum nisi patrem & filium  
& spiritum sanctum. Quem beatissimus pater Siluester pre-  
dicat Trinitatem in unitate, unitatem in Trinitate. Nam  
omnes Dij Gentium, quos usq; hactenus colui daemonia  
opera hominum manu facta comprobantur. Etenim quan-  
tam potestatem idem Saluator noster suo Apostolo Beato  
Petro contulerit in caelo & in terra lucidissime idem uene-  
rabilis pater edixit, dum fidelem eum in omni sua interro-  
gatione inueniens, ait. Tu es Petrus, & super hanc Petram  
aedificabo Ecclesiam meam, & Portae Inferi non praeuale-  
bunt aduersus eam. Aduertite Potentes & aure cordis inte-  
dite, quid bonus magister & Dñs suo discipulo adiunxit.  
inquiens. Et tibi dabo clauas Regni caelorum, & quodcumq;  
ligaueris super terram, erit ligatum in caelis, & quodcumq;  
solueris super terram erit solutum in caelis. Et dum haec pra-  
dicante Beato Siluestro agnoscerem ex beneficijs ipsius  
Beati Petri integre me sanitati corporis redditum &c.

Sic res admiranda Olei fontem ex terra fluere, atque id  
praecipue natiuitatis Seruatoris nostri IESV CHRISTI  
tempore



## DE PRINCIPALITATE

tempore & in urbe orbis Domina. Ex quo pius Lector  
conſpicere poteſt hanc urbem uberrimam & ampliffimam  
gratiam CHRISTI habituram non contemnendo Mi  
raculo.

## CONFIRMATIO EX

*Iure Canonico.*

**D**E Iure Canonum prius etiam oſtenſum eſt, cum de  
quatuor Doctorum ſuffragijs diximus, ſed plenius  
in c. In nouo & c. Quamuis XXI. diſtinct. Vbi in  
quit Pelagius vrbis Romanæ Episcopus. Quamuis uniu  
uerſæ per orbem Catholicæ & Apoſtolicæ ſint Eccleſiæ  
conſtitutæ unus Thalamus Chriſti ſint, tamen Sancta Ro  
mana Eccleſia Catholica & Apoſtolica nullis Synodicis  
conſtitutis cœteris Eccleſijs prælata, ſed Euangelica uoce  
Domini.

Principalitas igitur uoce Domini Eccleſiæ Romanæ  
attributa eſt. Apparet ob id eam eſſe Principalem, & nul  
lam ab ea ſegregandam. Accommodabis huc Gelafij  
Papæ omnibus Episcopis ſcriptam Epistolam in c. cuncta  
per mundum IX. q. III. Vbi principatum Papa Gela  
ſius Eccleſiæ Romanæ concedit, inquit enim, quod id po  
teſtatis habeat pro ſuo Principatu, quem Beatus Petrus  
Apoſtolus Domini uoce & tenuit ſemper, & tenebit.

Ex Petri